

EPISTULA LEONINA XL

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XXXVIII INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina.php>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM QUADRAGESIMAM !

ARGUMENTUM

FABELLA VILELMI HAUFF – PARS TERTIA: Kalif Storch (in Latinum convertit Wilhelm Hundsrucker).

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

***utinam quam optime valeas, utinam vaces Epistulae
Leoninae quadragesimae perlustrandae !***

***Huic Epistulae inest tertia pars symbolae Vilelmi
Hundsrucker emeriti directoris studiorum superioris
gymnasii Saldenburgensis. Haec symbola, cuius partem
primam iam legisti in Epistulâ Leoninâ tricesimâ quintâ
(XXXV), alteram in Epistulâ undequadragesima (XXXIX) est
illustris fabella Vilelmi Hauff a Vilelmo Hundsrucker in
Latinum conversa.***

***Addita est symbola «SPECULI», horrei nuntiorum
Hammaburgensis, in qua Ibn Warraq, criticus islami ipse
quondam muslimus, sententiam dicit de lite gryllorum, i.e.
imagineum ridicularum, quae a Danis gryllographis
confectae spectant ad Mahumetum prophetam.***

***Cara Lectrix, care Lector, hac Epistulâ Leoninâ helluare et
pancraticê vale et perge nobis favere!***

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

d.Iovis, 2.º m.Sept., a.2010

KALIF STORCH

fabella

a Vilelmo Hauff theodisce scripta

a Vilelmo Hundsrucker in Latinum conversa

PARS TERTIA



...cur fascinatus sim, vasire? Hic est Mizra, filius inimicissimi mei, magni magi Kaschnuri, qui mihi olim in horâ malâ ultionem minatus est. Sed nondum despêro. Mecum vĕni, fĭde comes miseriae meae! Eamus ad sepulchrum prophetae sperantes nos in hōc loco sacro a fascino solutum iri!”



Ab tecto palatii surrexêrunt volaturi in urbem Medinam. Cum autem in volando exercitati non essent, hoc eis erat difficile. “O domine”, vasirus iam post paucas horas lamentabatur, “veniam da! Ego hoc non iam sustineo. Volas nimis celeriter. Praeterea vespere iam adventante necesse sit hospitium nocturnum quaerere.” Chasidius servo precanti obsecutus est; et cum subter in valle parietinas conspexissent, quae hospitio esse viderentur, eo volavêrunt. Hic locus, quo sedêrunt ad dormiendum, olim castellum fuisse videbatur. Pulchrae columnae ex parietinis eminebant, e compluribus conclavibus paene integris apparebat decus domûs pristinum. Chasidius comesque eius per domum ibant quaesituri sibi loculum siccum, cum ciconia ‘Mansor’

constitit dixitque: “Domine princeps! Utinam ne stultum esset vasiro magis quam ciconiae larvas timêre! Ego valdê paveo, quia iuxtim audivi claram vocem suspirantem et lamentantem. Tum chalifa etiam stans clarê audivit fletum parvum potius humanum quam bestialem. Itaque chalifa rerum novarum cupidus accessurus erat eo, ex quo lamenta audiverant; vasirus autem rostro alam eius rapiens deprecatus est, ne periculum novum ignotumque subiret. Sed ei non contigit, ut chalifam retineret. Is, qui etiam âlîs ciconinîs instructus animo esset

forti, nonnullis pennis amissis se eripuit et in andronem obscurum properavit. Chalifa brevi ad ianuam advenerat, quae non clausa, sed sôlum applicata videbatur. Ex eâ clara suspiria parvo ululatu admixta audivit. Chalifa ianuâ rostro apertâ stupefactus in limine constitit. In conclavi ruinoso parvâ tantum fenestrâ clatrâtâ instructo, quod paulum illuminabatur, conspexit magnam strigem humi sedentem. Quae ex magnis oculis rotundis



lacrimas per genas ubertim fundebat et ex rostro curvo edebat lamenta submissa. Chalifa autem vasiroque, qui interea adrepserat, conspectis strix clamorem sustulit laetissimum. Decôrê âlâ maculis fuscis obsitâ lacrimas ex oculis deterisit et duobus viris stupentibus acclamavit Arabico sermone humano bene usus: “Salvete, ciconiae! Vos mihi bono omni estis salutis meae! Mihi enim olim praedictum est ope ciconiarum fore, ut mihi essent res secundissimae.” Chalifa,



cum se a stupore respiravisset, collo longo se inclinans pedibus tenuibus decôrê collocatis dixit: “Strix! Verbis tuis auditis mihi liceat credere te comitem miseriarum esse. Sed eheu te miseram! Frustra speras te a nobis servatum iri. Tu ipsa nostram miseriam cognosces, si nostram fabulam audiveris”. A strige rogatus, ut fabulam narraret, chalifa coepit narrare ea, quae iam novimus. Chalifa cum strigi fabulam narravisset, haec ei gratias egit dixitque: “Audi nunc etiam meam fabulam et cur non minus infelix sim quam tu! Pater meus est rex Indiae, ego, unica eius filia, ‘Lusa’ nominor. Ille magus Kaschnurus, qui vos fascinavit, etiam me in res adversas pepulit. Aliquo die ad patrem meum vênit me filio suo Mizrae in

matrimonium petiturus. Pater meus autem, vir fervidi animi, eum de scalâ deici iussit. Malo autem viro figurâ mutatâ denuo contigit, ut ad me rêperet, et cum olim in horto potum refrigerarium sumptura essem, ille more servi vestitus mihi potionem porrexit, quae me in hanc fastidiosam figuram mutaret.



Tum me timore impotentem huc tulit et voce terribili mihi in aures clamavit: ‘Tu hîc maneto, propter fastidiosam figuram etiam bestiis despecta, usque ad tuum finem aut ad id tempus, quo aliquis suâ sponte te, ut es fastidiosa, uxorem concupiscit. Hôc modo te patremque tuum ulciscar.’ Ex hôc tempore multi menses praeteriêrunt. Sôla et tristis vitam eremitae dego in his moenibus despecta ab hominibus et etiam bestiis fastidiosa;

non video pulchram naturam, quia caeca sum luce diei nec velamen lacrimarum ab oculis meis delabitur, nisi luna lucem pallidam super haec moenia diffundit.”

Strix cum finem narrandi fecisset, alâ rursus oculos purgavit, nam narratio laborum miseriarumque lacrimas effecerat.

Chalifa filiâ rêgis narrante ad cogitandum motus: “Ni fallor”, inquit, “nostrae miseriae inter se cohaerent; sed ubi inveniam clavem huius aenigmatis solvendi?” Strix respondit: “O domine, ego idem conicio. Nam mihi puellae olim a muliere sapiente praedictum est me a ciconiâ fortunatam factum iri. Fortasse...

(ULTIMA PARS SEQUETUR)

Titulus originalis: „Die Geschichte von Kalif Storck“

Theodiscê scripsit**Wilhelm Hauff (1802-27)**

In Latinum convertit picturisque ornavit

Wilhelm Hundsrucker

Director studiorum superior emeritus

Saldenburgensis

Versionem Latinam retractavit

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

d.03. m.Febr. a.2006

TRACTATIUNCULA DE ICONOCLASTIS ISLAMICIS SCRIPTA

"Nolite vos excusare!"

Ibn Warraq auctor educatus est in scholis Alcoranianis – nunc idem in tractatiunculâ pro SPIEGEL ONLINE scriptâ postulat ab hominibus occidentalibus: Nolite vos excusare!

Litigationem de gryllis Mahumetanis spectare ad quaestionem nostrae aetatis gravissimam: ad quaestionem iuris, quo concedatur libertas sententiae dicendae.



"Cogitatio mediaevalis": In Pacistaniâ homines manifestantes vexillum Danicum discindunt.

Grylli in actis diurnis Danicis "Jyllands-Posten" publicati causae sunt, cur tractemus quaestionem nostrae aetatis gravissimam: quaestionem sententiae liberê dicendae. Nos occidentales patimurne urgeri a societatibus, quae deditae sint animorum inclinationi mediaevali? An sumus parati ad defendendum bonum nostrum libertatis pretiosissimum: sententiam liberê dicendam, ad quam assequendam milia hominum vitas suas dederunt?

Sine iure sententiae liberê dicendae democratia non diu potest vitâ superare – sine libertate discutiendi, dissentiendi, immo offendendi et increpitandi. Haec est libertas, qua mundus Islamicus caret tam amariter, et sine qua homines muslimi perseverabunt permanere in castro suo, dogmatico, mediaevali; ossificati, totalitarii, intolerantes. Sine libertate fundamentali islamus perget suffocare cogitationem, iura humana, individualitatem, originalitatem, veritatem.

Quamdiu non apertê declarabimus nos consentire cum Danis gryllographis, quamdiu hoc non declarabimus voce sincerâ et magnâ et publicâ, tamdiu isti tyranni valebunt, qui conentur liberos homines occidentales cogere, ut sequantur ideologiam totalitarismi; quod si istis contigerit, Europae islamizatio incohabitur paulatim perficienda. Ergo nolite vos excusare!

**DE AUCTORE HUIUS
TRACTATIUNCULAE**

Ibn Warraq a.1946 in Indiâ natus est, adolevit in Pacistaniâ, educatus in scholis

Alcoranianis

Pacistaniae, postea

Angliae.

Hôc tempore in USA

vivens salutis servandae causâ publicat sub

pseudonymo, q.e. Ibn

Warraq, nomine, quod solet adhiberi a dissidentibus Islamianis. Opus eius recentissimum et plurimê divenditum inscribitur „Cur non sim Muslimus“, praeterea edidit opera, q.t. est „De Alcorani originibus“ et „Quaerendum est, quis fuerit Mahumetus historicus“.

Venio ad aliud problema fusius tractandum: ad occidentalium infirmitatem se ipsos eruditione suâ suoque cultu civili defendendi. Estis superbi! Nolite vos excusare! Nosne semper semperque rogare debemus, ut nobis ignoscantur peccata maiorum nostrorum? Num nos ipsos adhuc debemus excusare pro Imperio Britannico, quamvis Britannis in Indiâ praesentibus effecta sit renascentia huius subcontinentis, qua fames impugnaretur, qua viae stratae et rete ferriviarium et systemata aquaeductuum sint aedificata, qua cholera sit sublata? Non antea fuerant ministrationses publicae nec publica eruditio scholaris. Nec quid melius Britanni relinquere potuerunt nisi democratiam parlamentariam instituendam, id est imperium iuris.

Porro quid Britanni fecerunt de urbibus Bombay et Calcutta? En Britannos Indis reddidisse ipsam eorum historiam: Nemo nisi Europaei homines docti investigatores, archaeologi Europaei fuerunt, qui invenirent veterem Indiae magnitudinem. Fuerunt gubernatores Britanni, qui summis viribus id curarent, ut servarent monumenta antiquae magnificentiae praeteritae. Imperialismo Britannico ibi servata sunt talia monumenta, ubi milia templorum hinduicorum erant destructa imperialismo islamico.

Nosne reverâ coram toto genere hominum nosmet ipsos excusare debemus pro Dante et Shakespeare et Goethe et Mozart et Beethoven et Bach? Pro Rembrandt et Vermeer et Van Gogh et Breughel et Galileo et Huygens et Copernico et Newton et Darwin? Pro penicillino et computatro? Pro ludis Olympiis et pro pedifollio? Pro iuribus humanis et pro democratiâ parlamentariâ? In occidente situs est fons ideae libertatis. Idea libertatis individualis, democratiae politicae, rei publicae iure conditae, iurum humanorum, libertatis culturalis.

Fuerunt occidentales, qui meliorem redderent condicionem mulierum, qui impugnarent servitutem, qui defenderent libertatem conscientiae,

sententiae, informationis. Occidentales nequaquam debent doceri de virtutibus superioribus societatum, quae suppressant mulieres suas, earum clitorides amputent, eas dilapident propter adulterium opinatum, quae liquores acidos infundant in earum facies aut iis denegent iura humana, quos dicant esse „castarum“ inferiorum.

Quomodo exspectamus homines immigrantes adaptatum iri ad societates occidentales, si simul docentur easdem esse depravatas, impietatis omniumque malorum, phyletismi et imperialismi fontes omnino detestabiles et abominabiles? Homines tali doctrinâ imbuti quid causae habent, cur – ut verbis utamur Iacobi Baldwin auctoris Afro-americani – studeant bene se praeparare ad inhabitandum navigium, quod mox abysso maris hauriatur? At quare iidem omnes volunt migrare in terras occidentales – nec volunt in Arabiam Saudianam?

Loco istius doctrinae immigrantibus oportet narrare de illis saeculis, quibus pugnatum est de hac libertate assequendâ, quam iidem omnes magni aestimant, qua fruuntur, qua utuntur maximâ cum utilitate. De individuis illis et gregibus, qui pugnaverunt pro libertate, et qui sunt contempti hodieque iacent in oblivione, et de illis, qui pugnaverunt pro hac libertate, propter quam magna pars mundi nobis invidet nosque admiratur et studet imitari. Chinae alumni academici a.1989 in Plateâ Pacis Caelestis cum pro democratiâ manifestantes morerentur, secum non habuerunt simulacra Confutii aut Buddhae, sed statuæ libertatis.

Libertas sententiae dicendae est hereditas nostra occidentalis. Quam defendamus, ne pereat incursantibus tyrannis totalitarismi. Quae libertas etiam maximê necessaria est in mundo islamico. Cum fideliter servabimus bona nostra, mundo Islamico dabimus lectionem pretiosam: Eundem enim adiuvabimus eo quod eiusdem mores traditos bene aestimatos coniungemus cum bonis illuminismi laboriosê acceptis.

Anglicê scripsit: Ibn Warraq

Ex Anglico in Theodiscum convertit: Alexander Schwabe
E Theodisco in Latinum convertit: Nicolaus Groß

Hanc relationem d.03.m.Febr. a.2006 in periodico „Der Spiegel“ inventam e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praeceptor Sedis interretialis domûsque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: [///www.leolatinus.com/](http://www.leolatinus.com/)

**HANC EPISTULAM LEONINAM QUADRAGESIMAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE COMPOSUIT**

d.loviz, 2.º m.Septembris, a.2010

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>